



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Davidis Regii Prophetæ Psalterium**

**Moritz <Hessen, Landgraf>**

**Smalcaldiæ, 1593**

**VD16 B 3258**

Psalmvs LXXIII. Quàm bonus Israël Deus, &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

PSALMVS LXXIII.

Quàm bonus Israël Deus, &c.

**Q**uam bonus est Dominus, sincero corde colenti:  
Hoc solamen habens, sub cruce victor erit.  
Ast equidem ferme pede languidulo titubassem,  
Et via strauisset lubrica me miserum.  
Indignabar enim misero insultare superbos,  
Ex animi voto viuere, pace frui.  
Non hos circundant saeva discrimina mortis:  
Verum instar turris, splendida tecta colunt.  
Non hos, ut reliquos, fortuna insania vexat,  
Non ferit indignis fors miseranda modis.  
Inde suo fastus, ceu torque superbit adunca,  
Et fucum gaudet veste decente tegi.  
Inflati incedunt, turget pinguedine fastus,  
Collibuit, quicquid turba animosa facit.  
Omnia derident, & friuola verba loquuntur,  
Sublimi è folio despiciunt miserum.  
Qua statuunt labiis, dicuntq; ea certa videri,  
Delphici & oraculi pondus habere volunt.  
Quapropter talis populari vescitur aura,  
Huc fit concursus more fluentis aquae.

Talia



Talia concipiunt animo: Deus haccine curet?  
Istos num norit, cernat & illa Deus?  
Hac studia, hi mores reproborum: diuite cornu  
Felices, mundi regna beata tenent.  
Anne igitur frustra studui sine crimine pectus,  
Et sceleris puras prorsus habere manus?  
Anxia quotidie mea me tentamina vexant,  
Experior plagas, nocte dieq<sub>2</sub>, meas.  
Vix me continui, loquerer quin talia verba,  
Qualia saepe solet pessima turba loqui.  
Verum ita damnassem, quotquot promissa secuti  
Te Dominum certam spem statuere sibi.  
Altius inquirens & talia scire laborans,  
Sollicitis curis implicor atq<sub>3</sub> premor.  
Donec sancta tui ingrediens penetrata templi  
Perspicerem, hos flores quam cito ledat hyems.  
Nam tu, iuste Deus, reprobis loca lubrica signas,  
Et facis ut subito funditus intereant.  
Quam cito prauorum turba euanescit in auras,  
Panicus ut terror corda timore quatit.  
Ut cito praterent temeraria somnia noctis:  
Sic horum in populo praterit effigies.  
Attamen hac angunt, atq<sub>3</sub> intima viscera ladunt,  
Et



Et pungunt renes, tristia fata, meos.  
Ante tuos oculos quòd stultus & inscius esse  
Te coram videor, quòd pecus esse stupens.  
At tamen immotus tibi soli semper adhesi,  
Nam retines dextra me, Deus alme, tua.  
Consilio fido loca meq; per inuia ducis,  
Et caput erectum tollis in alta meum.  
Non mihi terra ferax cura, nec sydera cæli,  
Dum mihi propitius sis maneasq; Deus.  
Esto, mihi corpus, mens ægra angore fatiscat:  
Tu tamen es cordis portio magna mei.  
En pereunt omnes, qui non tua iussa sequuntur,  
Intereunt, quot quot numina vana colunt.  
Gaudia sed mea sunt, hæc est mea sola voluptas:  
In Domino firmam spem posuisse meo.  
Dum statuo clypeum mihi presidiumq; Iehouam,  
Dum celebros unius fortia facta Dei.

PSALMVS LXXIIII.

Vt quid Deus repulisti, &c.

**Q**uò, Deus, usq; gregem miserum, tua mem-  
bra, repellis?

Cur, Deus, in populum feruet & iratum?

T

Esto